

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Rector Universitatis Jo. Frider. Mayer, Lips. S. Theol. D. &
Prof. Prim. S. R. Maj. Svec. ... Sanctum Illud In Dulci
Jubilo, Nun singet und seyd froh/ Civibus Acad. Reg.
Pomer. ...**

Mayer, Johann Friedrich

Gryphiswaldiæ, [1705?]

VD18 13294083

urn:nbn:de:gbv:45:1-15718

14

RECTOR UNIVERSITATIS

JO. FRIDER. MAYER, Lipsf.

S. Theol. D. & Prof. Prim. S. R. Maj. Svec.

Consiliarius in Ecclesiast. per Germaniæ Provincias, Confi-
storii Regii Præses, Acad. Pro-Cancell. Perpetuus, Facult.

Theol. h. t. DECANUS, ad D. Nicolai Pastor, Pomeraniæ
Svec. & Ducatus Rugiæ Superintendens Generalis,

SANCTUM ILLUD

In Dulci Jubilo,

Nun singet und seyd froh/

Civibus Acad. Reg. Pomer.


serio commendat.

GRYPHISWALDIÆ,

TYPIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

REG. ACAD. TYPOGR.





JESU FORTUNANTE !



*l*cet DEUS cunctos dies crea-
verit, singulariter tamen hunc fecisse
videtur, qđi CHRISTI Domini Nati-
vitati sacratus est: qđo merito exul-
tare convenit & latari: qđoniam in eo
& Diabolus jus perdidit, & salutem
mundus accepit.

In hanc M. Aurelii Cassiodori, Consulis olim Romani
post Monachi, sententiam ad Ps. 118. universus qđa patet
Christianus Orbis consentit, & ut DEO-HOMINI
dicatæ mentes concepta gaudia illo die jubilationibus
publicis declarent, sancta lege jubet. Quamvis verò
Incarnationis VERBI Sacramentum, omnem ut rati-
onis nostræ 1. Tim. III. 16. ita & celebrandi facultates
egrediat ac silentii religione rite colatur:

Dum mutus DEUS est non me decet esse loquacem.

Ingenio sterili causa DEUSqve faveat.

Excitat tamen accenditqve ad lætos clamores, Divini
Amoris adversus nos miseros ἀγαπᾶμα, Suos in præ-
sepio canens de Ipso DEO actos nostri causa trium-
phos. Ex vero Sidronius Hoscobius Lojolita, Poëta feli-
cissimus de CHRISTO Patiente Eleg. I.

DISCITE qđia sit Amor. Res est antiquior ipso

Tempore: dumqve fuit Numen, & ille fuit.

Pargve DEO qđamvis nihil est, tamen imperat illi,

Et sibi ceu victum cedere sæpè jubet.

A 2

Ante

Ante mare & terras, cœlique volubilis axes,

Cum species rerum nulla, nec orbis erat,

Ille dixit Amor: Terras & sidera conde.

Nec mora; lucebant sidera, stabat humus.

Lucidus ex illo certâ vice voluitur æther:

In medio constans aëre pendet humus.

Viderat oppressos sceleratis fraude tyranni

Vincula mortales non patienda pati;

Præcipientesque rapi turmatim in tartara preda,

Nec miseris ullum stragibus esse modum.

Non tulit hoc miserans Amor, & cum Numine questus:

Ipse tuum vindex asserere, dixit, opus.

Jusserat: obsequitur DEUS, & sua sidera lingvens

Protinus in nostram devenit exul humum.

Tantaque Majestatis moribundi corporis artus

Induit, & nasci paupere matre tulit.

Nec pudor adstantes inter vagisse juvencos;

Nec pudor in fœno decubuisse fuit.

Ultima ferali quis nescit in arbore passum?

Quis morti nescit succubuisse DEUM?

Omnia jussit Amor. Cælo dat jura, nec ipso

Omnia cui parent, regna minora tenet.

Ipsa etiam jubili plena Angelorum carmina Luc. II. 14.

in similem nos lætitiâ conjiciunt. Quæ probe ex-

pendens Ecclesia mater, improbo studio eo allaboravit

ut animi effusissimè gaudentis formulas nobis præiret.

Nolim id confirmare fabulosis Romani contaciis sive

brevibus Odis (confer. de Contaciis Jac. Gretserum ad

Codini Cap. VII. Jac. Goar notas in Chrysoft. Homiliam

de Missa f. 155. Du Fresnoie Glossarium mediæ & infimæ

Gæcitatæ voce χοῳδίασιν) quas ex libri à B. Virgine in

somnio

somnio porrecti esu, nullo prorsus negotio composuisse dicitur *Simoni Wagnere* schio in opere de *Mariana Gracorum* *Pietate* Prol. n. 18. Sufficiat *Ambrosii* nominasse *Veni Redemptor gentium, &c.* Dicimus grates, &c. *Cæli Sedulus* A Solis ortus cardine, &c. *Aurelii Prudentii* Corde natus ex Parentis ante mundi exordia, &c. *Venantii Fortunati* Episcopi Agnoscat omne seculum, *Venisse vita premium*, quis enim omnes *Beda, Paulini, Fulbert. Carnogensis, Pauli Diaconi, Thomæ Aquinatis, &c.* enumeret?

Neque cessit quidquam circa hanc pietatis partem vel Græcæ vel Latine, Ecclesia patria antiquior, sed collectæ in feriis Natalitiis concioni sacræ & ipsa jubilandi modum verbaq; præscripsit. Quæ omnia sancte observavit, & in verba juravit Ecclesia etiam hodierna, ita ut in hunc usque diem gaudium omni populo ex nativitate Salvatoris ortum, pleno corde, ore pleno exprimentes, summi, imi, medioxami, senes & juvenes, masculus pariter atq; fœmineus sexus, gratissimi reddant maximo cum jubilo veteris Ecclesiæ jubilæas voces:

In dulci jubilo,

Num singet und send froh/

Unsers Herzens Bonne/

Liegt in præsepio,

Und leuchtet als die Sonne/

Matris in gremio,

Alpha es & O, Alpha es & O.

Cantilenæ etenim hujus ex Seculo XV. repetendi sunt natales. Plurimorum consensione Autor illius creditur *Petrus* à patria Urbe *Dresdensis* dictus, fidelissimus

veritatis Evangelicæ cum *Job. Husso*, cujus ætate vivebat, assertor, ob cujus ingenuam professionē, postquam Ludimoderatoris aut Cantoris in Chemnizensium & Zwickaviensium Scholis munere esset defunctus, Patria pulsus Pragam concessit, ibique (ex solida Thomasi suspicione) diem supremum obiit. Vitam Viri more suo h. e. accuratissimè Præceptor noster Jacobus Thomasius peculiari Dissertatione retulit.

Invidet *Petro Dresdensi* hanc compositionis gloriam *Zacharias Theobaldus* P. II. des Hussiten Kriege pag. 148. illamque *M. Petro de Mladonowicz* tribuit: Nach Rom wurden verordnet / M. Petrus de Mladonowicz (NB. dieser Mann ist zur Zeit des Costnitzer Concilii, des ewig lobwürdigen / aufrichtigen und getreuen Herrn / Herrn Johann von Eslum / seiner Kinder Præceptor gewesen / der Ihn mit sich nach Costnitz genommen / da Er alle Sachen zusammen geschrieben / Hussio und Hieronymo viel getreue und beständige / auch mit Leibes-Gefahr Dienste erwiesen hatte / und wie man gänzlich davor hält / aus herzlichster / zu unsern einigen Heyland Christo / Lieb / das Weynacht-Gesänglein / In dulci Jubilo, soll gemacht haben.) Fidissimus verò Ratisponensis Ecclesiæ Antistes, & de Re Literaria insigniter meritus, Amicus noster conjunctissimus *Dn. Georgius Serpilus*, in zufälligen Gedancken bey *Hn. Olearii* Pieder-Bibliothek p. 53. Daumiani Manuscripti fide adductus, utriq; horum istud meritum abjudicat & ætatem cantilenæ altius petit. Quidquid vero horum sit, nobis plus quam satis est, eadem de Salvatoris generis humani nativitate cecinisse verba, iisdemq; ad jubilationes excitasse Patres & V. & N. Test. Sanct. DEI Spiritum vocibus.

In



In dulci Jubilo,

Exulta vehementer puella Sion : exclama lætè puella Hierosolyma : *Zach. IX. 9.* En ego vobis ingentem nuncio lætitiā, toti populo futuram. *Luc. II. 10.*

Nun singet und seyd froh /

Apud te gaudebunt, sicut in messibus gauderi solet, quomodo in dividendis spoliis exultatur : *Es. IX. 3.*

Unsers Herzens Wonne /

Deficiat licet corpus, corq; meum, mei cordis numen est, meaq; conditio, DEUS in perpetuum. *Pf. LXXIII. 26.* Accedam ad aram divinam, ad DEUM, meæ voluptatis delicias, teqve cithara celebrabo, DEUS, mi DEUS. *Psal. XLIII. 4.*

Liegt in Præsepio,

Invenietis infantem fasciis involutum, jacentem in præsepi. *Luc. II. 12.*

Und leuchtet als die Sonne /

Is est splendor gloriæ ejus, &c. *Hebr. I. 3.* Vobis meum nomen reverentibus orietur justitiæ Sol. *Mal. IV. 2.*

Matris in gremio,

Et peperit filium suum primogenitum. *Luc. II. 7.* Postquam plenum tempus advenit, misit DEUS filium suum, ex muliere natum. *Gal. IV. 4.*

Alpha es & O.

Ego sum A & Ω, principium & finis, inquit Dominus, qui est, qui fuit, & qui venturus est, Omnipotens. *Apor. I. 8.*

O JESU Parvule,

Puer nobis nascitur, filius nobis datur. *Es. IX. 6.*

Nach

Nach dir ist mir so weh /

David optavit, dixitq; cupere sibi dari ad bibendum
aquam ex puteo Bethlehema, ad portam posito. 2. Sam.
XXIII. 15. Ubinam est Judæorum natus Rex. Matth. II. 2.

Tröste mir mein Gemüthe /

Commovēbo omnes Gentes, ut veniat Desiderium o-
mnium Gentium. Hag. I. 8. Venite ad me omnes la-
borantes & onusti, & ego recreabo vos. Matth. XI. 28.

O Puer Optime !

Ecce Virgo prægnans filium pariet, qvem nomine
vocabit Emmanuelem. Es. VII. 14.

Durch alle deine Güte /

Propius accedens, visa urbe, deploravit eam. Luc.
XIX. 41. Commotis in eum visceribus, miserabor ejus,
Jer. XXXI. 20.

O Princeps Gloria !

Dominus Gloriae. 1. Cor. II. 8.

Trahe me post Te.

Trahe me post Te, curremus. Cant. I. 4.

O Patris Charitas !

Hic est meus charissimus filius, in quo mihi bene com-
placitum est. Matth. III. 17. XV. 5.

O Natæ Lenitas !

Discite à me, qui mitis sum & animo summissus.
Matth. XI. 29.

Wir wären längst verdorben /

Per nostra Crimina.

Execrabilis qui Legis hujus dicta non præstiterit atq;
fecerit. Deut. XXVII. 27.

So

So hat Er uns erworben /

Cœlorum Gaudia.

CHRISTUS nos à Legis execratione asseruit, factus pro nobis execratio. *Gal. III. 13.* Pater, quos mihi dedisti, volo, ut ubi ero ego, ii quoque sint mecum. *Job. XVII. 24.* Certa res est, & omni approbatione digna, CHRISTUM JESUM in mundum venisse servatum fontes. *1. Tim. I. 15.*

Eya wären wir da.

Migrare cupio, ac cum CHRISTO esse. *Phil. I. 23.*

Ubi sunt Gaudia,

Nirgend mehr denn da /

Apud Te plena gaudiorum adest copia, cujus in dextra perennes sunt voluptates. *Psal. XVI. 11.*

Da die Engel singen /

Nova Cantica.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehova Zebaoth, cujus gloriâ plenus est universus Orbis. *Es. VI. 3.*

Und die Schellen klingen /

In Regis Curia.

Beati, qui ad nuptiarum agni cœnam vocati sunt. *Apoc. XIX. 9.* Hi stolis albis amicti quoniam sunt, & unde venerunt? Cui ego: Domine Tu scis. Et ille: Hi sunt, inquit, qui ex magna calamitate veniunt, stolasque suas agni sanguine perluerunt ac dealbarunt. Propterea sunt ante DEI solium, eumque dies & noctes in ejus templo colunt. *Apoc. VII. 13. 14. 15.*

Eya wären wir da.

Domine JESU accipe Spiritum meum. *Act. VII. 59.*

B

Jure

Jure hinc Lutherus noster in Ecclesiarum usus cantionem isthanc & commendavit & inter suas cum Hymnarium Anno 1544. auctius ederet, locum concessit. Diese alten Lieder haben wir auch mit auffgerafft / zum Zeugniß etlicher frommen Christen / so vor uns gewesen sind in dem grossen Finsterniß der falschen Lehre: Auff daß man ja sehen möge / wie dennoch allezeit Leute gewesen sind / die Christum recht erkandt haben. 2c.

Sed miretur aliquis mixtum illud canendi genus & alternas lingvæ vices: Huic autem illa *Tob. Schmidii* in *Chronico Zwiccaviensi*, pag. 412. sufficere non possunt, hac ratione litem inter Petrum Dresdensem, germanicas in Ecclesia cantilenas introducere conantem & adversarios, conatibus Petri resistentes, composuisse Romanum Pontificem: Qvi enim hæc credit, illum & fastus Pontificii & rerum Petri valde imperitum esse oportet. *Miraculum hoc dixerim*, inquit *Thomasius* l. c. §. 105. *Solent enim Romani Pontifices versus eos, quos pro hæreticis habent, fulmina centum citius, quam benevolentia vel bebetissimum radium unum ejaculari.* Ex Theologia itaq; Mystica alii rationem petunt. Habet etenim illa suam ebrietatem, habet suam jubilationem, habet ructus mysticos, quando præ amoris divini excessu & mysteriorum divinorum demiratione linguam continere homo nequit, sed verba præter intentionem effundit: Addamus ad locum *Thomasio* Dissert. cit. adductum illum *Max. Sandei* in Theologia Mystica, pag. 379. *Quorundam enim quietis contemplatione existentium mens tanta illustrationum divinarum*

copia

copia impletur, ut dum in gemitus, vel latitia signa prorumpunt, aut in verba adfectum testificantia, non tam loqui, quam ex plenitudine quodam dulcedinis divina ac revelationum celestium eructare videantur, ac dicere possint verissime: eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi, Psalm. XLIV. 2. Quo pacto Davidem ex persona sua loqui docet apud Athanasium de Sententia Dionysii ipse Dionysius Alexandrinus & Hilarius in Psalm. CXVIII. in id. Eructabunt labia mea hymnum. Sensus autem est, cor animusque tantis secatent & redundant quasi dapibus divinis jucundissimis, atque suavissimis de parvulo Emmanuele ac Rege meo Messia, ut illa cogat eloqui, ac veluti effundere. Sic copia cibi, vel potus gravatus stomachus nec amplius continere se valens, ructus effundit. At hujus Theologiae alumnus autorem Cantici hujus fuisse, nondum evictum est.

Genio seculi mixturam hanc tribuit desideratissimus Morboffius meus Tract. von der Teutichen Boeterey / Cap. VII. pag. 327. atque Seculo XIV. hunc pangendi carmina modum obtinuisse ex Epitaphio Anno 1380. Friderici Strenui, Landgravii Hassiae probat.:

Sie ist ein Fürste löblich /

Quem vulgus st. bile plangit,

Von Mißne Marcgrav Friederich /

Cujus insignia pangit

Clerus, Claustralis, Laicus.

Den Fürsten leidlichen Klagen

Dives, inops, altus, infirmus.

Fürstliche Werck von Ihm sagen

B 2

War.

Warhaft / Wise / Tugendlich /

Affabilis atqve benignus,

In Gottes Furchte stätiglich /

Fit hic laudari dignus.

Da veniam CHRISTE,

Laß uns Gnaden erfinden.

Annuere quod iste,

Loß werd von seinen Sünden.

Cui quidem adeo non repugno, ut ad mores seculi Autorem styllum suum attemperasse teneam firmiter, istud tantummodo addens, adductum in id fuisse & pietate in Ecclesiam & theologicæ Prudentiæ regulis. Magnalia DEI, mysterium omnium consensione magnum *1. Tim. III.* Incarnationem puta Servatoris, canere meditabatur, hoc vero, quod ad omnes pertineret gentes, variis exponebant lingvis Apostoli, idem subinnuere & exprimere hac lingvarum vicissitudine Noster voluit. Sacra, ex tyrannide Pontificia Autoris tempore, latina tantum peragebantur lingua, ut viam ergo sensim muniret ad cationes pure germanicas in Ecclesiam introducendas, hac ætatis suæ consuetudine prudenter usus fuit.

Enim vero annon tenebras illas Papales revocent, reducantqve in Ecclesiam iniqua illa tempora, jubilationes DEO acceptas evertant, qui imperitorum concioni hodiernum illud *In Dulci Jubilo* in hymni cantusqve argumentum proponunt, inquiramus. Nolim hic contendere cum Diaboli Patrono *Gotofredo Arnoldo*, P. II. *der Kirchen- und Ketzer-Historien* / Cap. XVI. n. 30. inter Babelicas reliquias observantiam hanc referente, gravius enim argumentum pro retinenda vix credo afferri

ferri posse, quam quod Babelico hujus hominis improbetur ingenio, nil nisi Babelismum meditati. Illas autem facile expediam difficultates quas pii quidam movent, ex 1. Cor. XIV. 8. seqq. *Etenim si incertam vocem tuba dederit quis apparabitur ad bellum? Sic & vos, per linguam nisi significantem sermonem dederitis, quomodo intelligetur quid dicitur? eritis enim in aërem loquentes. &c. v. 16. 17. Alioqui, si benedixeris Spiritu, is, qui implet locum indocti, quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem? quandoquidem quid dicas nescit: Nam tu quidem bene gratias agis, verum alius non edificatur.*

Erit ergo inquit Apostolo arbitro in promiscua concione, cantio hæc (1) absque Spiritu, quia imperitus non intelligit, erit (2) omni fructu vacua. Quibus ego quidem, primo, de copiis domesticis satisfacio; edisserant, quare fidenter, in Supplicationibus publicis *Kyrie eleison: Christe eleison* promiscuæ multitudini indulgeant? aut quare *Kyrie eleison* vocabulis græcis plebi ignotis plurimas cantilenas obfignent? quidquid mihi responderint, id sibi responderant: reddant quoque rationem quare cum purissime in textu Veteris Testamenti fluant Ebræi fontes, Chaldaica tamen quædam in illis extare voluerit Divina sapientia? exponant mentem, num turbæ illi CHRISTO Hierosolymas ad Paschatos Festum introeunti Hosanna Filio David magna voce acclamanti Hellenistæ interfuerint ad, textum Biblicum; merè Græcum adsveti? Quorum dum mihi rationem reddere parant, ego ab Apostoli sententia me absolvo. Loquitur scilicet ille de integro orationis textu, loquitur de



cœtu prorsus imperito, loquitur de oratione sermonis ignoti nondum explicati, quæ omnia in cantionem nostram non conveniunt. Hæc etenim nota miscet ignotis, promiscuæ concioni, quæ ex eruditis pariter ac indoctis constat, proponenda, è suggestu etiam imperitæ plebi exponenda est. Loquitur Apostolus de oratione in lingua ignota prolata, quæ omni ædificatione & usu destituatur. Tantum vero abest, usu mixti hujus generis cantio careat, ut potius ab insigni utilitate (1) recordationis pristinæ in Papatus tenebris miseriæ (2) intimioris cum veteri Ecclesia vera, latente quamvis, conjunctionis. (3) Speciminis magnitudinem gaudii exprimentis (quorum omnia nostra quæ partim in *Stüb-Stunden* / partim in *Evangelischen Engeln* ad Dom. I. Epiph. scripsimus spectant, illa enim non de ipsa cantionis elaboratione, sed de hodierno illius usu capienda sunt, contra quam Viri Celeberrimi *Dn. Georgius Serpilius l. c. Pref. p. 5.* & *Dn. Daniel Seiffartus Deliciarum Melicarum pag. 231.* acceperunt) quod modum verborum ignoret, veniat commendanda.

Desinam, ubi brevibus, quid illa in dulci hoc jubilo gaudii cœlestis descriptio sibi velit, evolvero,

Da die Schellen klingen

In Regis curia.

Est nonnemo qui ex Cymbalis prioris Ecclesiæ lucem petit. Scilicet cum Musica imprimis instrumentalis tum temporis nondum ita esset exulta, cymbalis & tintinnabulis cantus etiam choreales sine arte temperabant, prout in Ecclesiis Cathedralibus sportulis ferreis

reis



reis magno numero inclusa & connexa cymbala videre licuit. Ut sensus sit in Regis cœlestis curia non solum cantica nova canere Angelos, sed ex musicis ad delectandas aures quidquid faciat abunde dari. *Apoc. V. 8. XIV. 2.*

Doleo Clarissimum *Tenzelium* Colloqv. Menstr. Anno 1698. pag. 177. locum ex *Magno Ludolpho* non adduxisse quo adstruit Regum ac Principum, ut & præcipuæ dignationis ex peculiari Principum indulgentia vestes nolis fuisse ornatas; id vero in confirmationem hujus moris addo, superesse illius vestigia in Imperiali Lubeca qua in familiæ Principes, hujus generis vestimenta hæreditario jure ad se translata inter emblemata referunt.

Atque ad hunc antiquissimum vestium per nolas ornatum Autorem respexisse in describendis cœlestibus gaudiis, stolas albas electorum, *Apoc. VI. 11. 13.* intendentem, non adeo absonum est.

Porro cum *Regis curia* veteribus dicta fuerit Tinnulus à tinnio (fide *Caroli du Fresne* in Glossario verbo Tinnulus) quod, ut in monasteriis fieri solet, ad tinnulum seu tinnitum campanæ singuli regii Palatii domestici ad epulas cierentur; non inepte quis suspicetur Autorem nostrum Cœnam agni, illiusque perpetuam celebrationem innuere. Da die Engel singen / nova Cantica, und ein innerwehrendes Abendmahl des Lammes gehalten wird. Sed hæc hæctenus.

Vestrum est, *Cives Academici*, charissima pectora eo anniti, ut quæ his jubilationibus ora vestra canunt, corda teneant firmiter & vita sanctè referat. Ita demum

demum gratæ ac acceptæ DEO laudes vestræ erunt.
Ita parvulus JESUS se ad vos trahet. Ita Pfallentium
in Regis Curia societatem & tuto expectare & pro-
mittere certo vobis poteritis, quæ voce nunquam in-
termiffa concinit :

In Dulci Jubilo,
Nun singet und seyd froh !

FIAT ! FIAT !

P. P.

Ipsis Feriis Natalitiis

A. O. R. 1705.

Sub Sigillo Academiae.

